Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1129

Quelle:
Copyright:

ctum, item *recte diſcuſſa* pro *decurſa;* Gloſſae interlineares plerumque aptiſſime illuſtrant ſenſum, atque idem praeſtant Scholia marginum, quae Autorem in Philoſophia, Theologiaque probe verſatum, neque linguae graecae prorſus ignarum probant, quamvis Graeca ab Librario ſaepe corrupta ſint. Horum porro παρεξηγων nemo eorum, qui hactenus in *Boethio* elaborarunt, notitiam habuiſſe videtur.

Fol. 13. p. 2. *Anitii. Manilii. Scuerini. Boetii. Viri Clariſſimi. Et Illuſtris. Ex Conſulari Ordine. Patritii. Ad Johannem Diaconum. Vtrum Pater. Et Filius. Et Spiritus Sanctus. De Divinitate Subſtantialiter Predicentur.* Notat ad *Johannem* Scholiaſtes: *Johannes iſte poſtea papa fuit. ut beatus gregorius in dialogorum libris commemorat. qui eciam cum ſymacho patricio a theoderico rege interfectus eſt. Vnde et ipſe theodericus poſt uitę terminum, ut quidam heremita ſuis ipſis aulicis innotuit, miſſus eſt a iohanne papa et ſymaco patricio in ollam uulcaniam.* Init Libellus: *Quero an pater et filius* &c. ut edit. *Lugd.* p. 281. atque integer et ſatis caſtigatus eſt.

Fol. 16. *Item Eiusdem Ad Eundem. Quomodo Subſtantiæ In Eo Quod Sunt Bonę Sint. Cum Non Sint Subſtantialia Bona.* Initium: *Poſtulas ut ex ebdomadibus noſtris* &c. ut edit. *Lugd.* p. 284. quacum probe conſonat. Ad majorem claritatem *Regulas* IX. quas mox ab ingreſſu ſtabilit *Boethius*, Codex noſter cum edit. *Baſil.* numeris diſtinguit. Vocibus illius *terminos regulasque* impoſita eſt gloſſa: *id eſt heras*, ad quam Scholiaſtes ita commentatur: *Hera domina. Here uocantur capitula in principio libri poſita eo, quod dominantur ſubſequentibus. Heras etiam uocamus numeros, quia ſecundum numerum capitula in principiis librorum ponuntur.* Alias *Aera*, quam vocem in nova Edit. *Gloſſarii Ducang.* conſule.

Fol. 22. absque omni titulo, continuo adſcripta eſt priori Libello Commentatio, quam novit Sec. XV. *Trithemius*, et *n.* 201. Librum *de Fide ad Johannem Diaconem* compellavit, nos vero debemus *Renato Vallino*, qui eam e 4. *Mſs.* protraxit, et edidit *Lugd. Batav.* 1656. hoc Rubro: *Brevis Fidei chriſtianae Complexio.* Qui factum ſit, ut et ille, et nos eam reperiremus continenter et absque ullo intervallo, vel titulo ad praecedentem Libellum, quocum nulla ratione cohaeret, adſcriptam, ego quidem non diſpicio. Interim non in omnibus *Mſs.* adjunctam fuiſſe, vel Editiones *Venetae* et *Baſileenſes* teſtatum faciunt. Jam vero, cum illam non niſi ex una *Vallini* editione habeamus, totam juvat contendere.

Editio